



## **Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. LXXVI. Juris Patronatus, quod convenit Patrono, quando Ecclesiæ  
status mutatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](#)

bus Ecclesiæ jus habeant suffragium ferendi, & subscribendi, relatis aliorum sententiis,

cum Turrecrem. summ. l. 3. c. 14. ad 6. resolvit, Cardinales definire, & subscribere, & quidem non solum jure demandato, sed ordinario: quod probat exemplo antiquissimo Synodi Romanæ II. sub Symmacho, ubi primò subscripterunt Episcopi, & postea Presbyteri, & tertio loco Diaconi Ecclesiæ Romanae in hunc modum: Calius Rusticus Episcopus Minuternensis subscripti - Deinde Calius Laurentius archipresbyter tituli S. Praxedis his subscripti - deinde subscriptio Diaconorum; Cyprianus Diaconus S. R. E. regionis septimæ his subscripti &c.

4. De eodem usu antiquissimo testatur etiam 42.

Dian. Edit. Venet. p. 5. tract. 2. resol. I. ubi refert, Cardinales presbyteros interfuisse, & praeseditse Episcopos in Nicana, Ephesina, Chalcedonensi VI. VII. & VIII. Synodo Generali: idque usū etiam obtinuisse in Conciliis. Hinc etiam interfuerunt, & quidem ante Episcopos subscripterunt in Concilio Lateranensi sub Leone X.

teste Suar. de fid. D. 11. sect. I. n. 17. Idem etiam observatum est in novissima Synodo Tridentinâ, cui non solum interfuerunt Cardinales Legati, sed etiam alii, & inter hos Cardinalis Matriarius.

## CONSLIUM LXXVI.

### De Jure Patroni, quando Ecclesiæ Patronatæ Status mutatur.

#### SUMMARIUM.

- I. 2. *Jus Patronatus acquiritur per Fundationem, Dotationem, aut Constructionem Ecclesia.*
3. *In Ecclesiis Collegiatis aut Conventualibus Patronus non habet Jus præsentandi.*
4. *Salvum manet Jus Patronatus Patrōno Episcopo, etiam si Ecclesia eximatur à Jurisdictione Ordinaria.*
5. *Jura patronorum in Ecclesiis Collegiatis vel*

- Conventualibus.*
6. *Si Ecclesia absque consensu Patroni mutetur statum in melius, non prejudicatur Jus Patronatus.*
7. *Si cum consensu Patroni Ecclesia mutetur in Collegiatam, perdit iste Jus præsentandi Prælatum.*
8. *Secus si absque ejus consensu id fiat.*
9. 10. *Deciditur proposita Quæstio.*

#### FACTI SPECIES.

**P**iscopus Ecclesiæ A. fundavit, & dedit Monasterium B. Istud successu temporis obtinuit Exemptionem à Jurisdictione Episcopi: nunc etiam laborat, ut mutetur in Ecclesiam Cathoram, & ejus Prælatus decoretur Dignitate Episcopali.

#### QUÆRITUR

*Quale Jus prætendere possit patronus Episcopus.*

1. *per fundationem ita factam Episcopus fundator, ejusque successores acquisiverunt Jus Patronatus respectu Monasterii ita fundati, non quidem quoad jus præsentandi, vel nominandi Prælatum, sed quoad alios effectus Juris Patronatus.*
2. *Et quidem 1. quod acquisiverint Jus Patronatus, extra dubium est; nam Jus*

Patronatus præcipue oritur ex tribus causis, fundatione, dotatione, & constructione Ecclesiæ, vel Beneficii juxta illud vulgatum

Gloss. in can. pia mentis 26. caus. 16. q. 7.  
patronum faciunt Dos, adificatio, fundus. Neque ab hoc eximuntur Ecclesiæ Conventuales, aut etiam Collegiatæ, quamvis cum limitatione infra num. seq. afferenda. Proceditque hoc, etiam Episcopus fundator sibi, & successoribus suis Jus Patronatus expressè non reservasset; quia etiam sine hujus Juris expressa reservatione, illud acquiritur, modò is, cui de jure Jus istud competeteret, idem jus actu contrario non remittat.

Ita Azor p. 2. l. 6. c. 19. q. 9. Garc. p. 5. de Benef. c. 9. n. 62. Vivian. p. 1. l. 2. c. 1. n. 9. Barbos. l. 3. Jur. Ecc. c. 12. n. 35. Palao tract. 13. D. 2. p. 2. n. 4. Clericat. de Benef. discord. 4. n. 9.

Ratio est, quia hoc Jus fundantibus, constructibus, & dotantibus Ecclesiæ acquiri-

quiritur ex dispositione Juris: unde non est necesse illud deduci in pactum, vel reservari expresse.

3. Alterum membrum Responsonis num. 1. data est exploratori apud DD. qui quoad Jus præsentandi, vel nominandi distinguunt inter Ecclesiæ Collegiatas, sive conventuales, & inter collegiatas, sive non Conventuales. In posterioribus fundatione, dotatione, constructione acquiritur Jus Patronatus plenum, & quoad omnes ejus effectus, consequenter etiæ quoad Jus præsentandi, vel nominandi Clericum ad vacantem Ecclesiæ, vel Beneficium; in prioribus vero Ecclesiæ Jus præsentandi, vel nominandi Prælatum, si Ecclesia hujusmodi Conventualis, vel Collegiata vacer, non acquiritur constitueri, fundanti, vel dotanti, nisi istud obtentum sit Privilegio Apostolico, ut clare decisum est.

c. nobis 25. de Jur. Patronat.

vel in limine fundationis illud Fundator sibi reservaverit: quod potest facere Patronus Ecclesiasticus

can. nullus 1. dist. 63. & c. sacro sancta  
51. de Elect.

quippe qui Juris eligendi non est omnino incapax: non vero Patronus laicus ob contraria rationem. Potest tamen & sibi, & Successoribus, interveniente Episcopi autoritate, reservare Jus præstandi assensum Electioni sibi intimata.

ut arg. c. nobis cit. infert P. Wiesner

ad tit. de Jur. patronat. n. 29.

ubi duo sunt annotanda. 1. Consensum talam requiri, & præstari debere post factam Electionem Prælati; ita enim clare sumitur ex c. nobis cit. ibi, in Conventuali Ecclesia non Electioni Prælati facienda, sed jam facta honestius patroni postulatur assensus. Item c. cum terra 14. fin. de Elect. ibi, quo facto, non prohibemus, quin Regis -- requiratur consensus: & denique c. sacro sancta cit. fin. ubi Gregorius IX. Ordinationem Prioris, per Electionem Conventus factam, denuntiari jubet patrono, ut suum, si voluerit, honestum impertiatur assensum. Alterum est, consensum Patroni, & approbationem Electionis magis esse de honestate, & in recognitionem foundationis, quam de necessitate, quod vel ipsa Vox honestius in textu cit. indicat. Hinc, si aliud nihil obstat Electioni, quod minus Canonica censeri debeat, etiam invito Patrono facta erit valida, & per Superiorum confirmanda.

Abb. in c. sacro sancta cit. n. 6. Barbos.  
in c. nobis cit. n. 5. Engl. ad tit. de Jur. patron. n. 4.

4. Resp. 2. Per hoc, quodd Monasterium in hoc casu à Jurisdictione Episcopi exemptionum fuerit, Jus Patronatus eidem Episcopo, & Successoribus ejus non fui ademptum, sed salvum, integrumque permanuit,

A. P. Schmalzgrueber Confessio

prout illud iisdem ante Exemptionem competit. Ratio est, quia Pontifex, eti de plenitudine potestatis possit Patronatus cuicunque sive Ecclesiastico, sive etiam Laico derogare, cum ab ipso concessus sit, non tamen censetur ei derogare velle, præsertim acquisito per fundationem, dotationem, vel constructionem, nisi adjecta sit clausula expresse, & specificè derogatoria ejusdem.

Covarr. pract. qq. c. 36. n. 2. Palao tract. 13. D. 2. p. 10. n. 3. & communiter ceteri.

Hinc si Ecclesia patronata, quæ Exemptionis privilegium obtinuit, sit Conventionalis, & Episcopus sit Patronus (ut in casu præsenti) licet tunc, cum de novo Prælato providendum eidem est, non amplius Electioni ejusdem assistere possit ut Ordinarius, adhuc tamen ei competent effectus Jus Patronatus, qui Patrono Ecclesiæ Conventionalis, vel Collegiatæ possunt competere.

Dixi autem num. 1. Patrono in talem Ecclesiæ non quidem competere Jus præsentandi vel nominandi Prælatum, competere tamen alios Jus Patronatus effectus. Adeoque ratione istius in tali Ecclesia etiam post exemptionem obtentam 1. Episcopo, ut Patrono, debebitur locus dignior, & honorificentior in Ecclesia patronata; nam hic debetur etiam Patrono laico, ut satis colligitur

ex can. piae 26. caus. 16. q. 7. & c. nobis  
25. de Jur. patron.

igitur multò magis ille adhuc debebitur Episcopo, qui quoad multa etiam post exemptionem manet Ordinarius respectu talis Ecclesiæ. 2. eidem venienti ad Ecclesiæ Clerici debent obviare processioniter, illumque excipere: quod iterum commune est alias Patronis pro ratione statu.

Gloss. magn. in c. un. in notab. de Jard patron. in 6. Pirhing. tit. eod. n. 36.

3. eidem adhuc, ut Patrono, incumbit cura & defensio Ecclesiæ, cui providere debet, ne à potentioribus opprimatur.

can. constitutum 60. caus. 16. q. 1.

& ne dos, vel ejus bona male alienentur, dilapidentur, vel in alios, quam à fundatore destinati sunt, usus convertantur

can. filii 31. & seq. caus. cit. q. 7.

4. potest, ut alii Patroni Ecclesiastici, rationem de administratione in temporalibus à Rectore Ecclesiæ patronata, & ceteris bonorum ejus administratoribus petere

can. sanè 6. caus. 16. q. 2. c. ex litteris

7. de Jur. Patron. c. cum & plantare

3. 5. in Ecclesiæ de privil. Abb. in c. ex

litteris cit. n. 3. Barbos. ibid. n. 12.

Resp. 3. Non potest Ecclesia patrona-

(Bbb bb)

ta, sine consensu Patroni, mutare statum in melius; consequenter non potest Ecclesia non collegiata erigere in collegiatam, nec collegiata, vel conventualis in Cathedram, nisi Patronus consentiat, vel necessitas hujusmodi mutationem suadet. Si vero erigatur Ecclesia patronata in collegiatam, vel Cathedram, creditio haec facta censemur absque Patroni praedium.

Card. de Luca de *jur. Patron.* discurs.

66. n. 11.

Quod procedit non solum, si Episcopus statum Ecclesiae patronatae mutare velit, quippe qui derogare juri Patroni non potest; sed etiam si Pontifex istud faciat, quippe qui, ut dictum est *num. 4.* juri Patronatus nunquam derogare velle censemur, nisi specialiter per clausulam derogatoriam istud exprimat. manebit proinde Patrono, etiam postquam Ecclesia patronata mutaverit statum priorem, salvum jus Patronatus antea habitum.

Quantum vero de jure Patronatus Patrono post talem mutationem maneat, an plenum, & quoad omnes effectus, an solum secundum aliquos, plurimum dependet a consensu Patroni, & qualitate statutus novi, ad quem Ecclesia transit; nam si cum consensu Patroni Ecclesia non collegiata convertatur in collegiatam, iste jus presentandi, quod antea titulo foundationis, dotationis, vel constructionis obtinuit, perdit.

Hofst. in c. nobis 25. n. 2. de *jur. patron.* Lambertin. p. 1. l. 2. q. 5. n. 8.

Quoad reliquos effectus autem jus Patronatus retinet; quia, ut *num. præc.* dixi, mutatio haec statutus censemur facta absque praedium Patroni, nisi in quantum ipse consensit. dum autem consensit, ut Ecclesia non collegiata, sub Patronatu suo constituta, erigeretur in collegiatam, consensisse quidem censemur, ut ejus Prælatus deinceps eligeretur a Capitulo (hoc enim de jure consequitur ad ejusmodi mutationem) consequenter jus Patronatus quoad jus presentandi Prælatum amittit: quoad reliquos autem effectus jus Patronatus retinet; sive etiam post eiusmodi mutationem ei debetur honor, incumbit cura, & defensio Ecclesiae, ac bonorum illius &c. Imò remanebit eidem etiam jus presentandi ad Canoniciatus e modo, quo illi antea competebat jus presentandi unum, vel plures Rectores, seu Beneficiatos.

Card. de Luca. n. 11. cit. & apud hunc Seraphin. decis. 1444. & Burrelli. decis. 172. n. 30. & 31.

quia, dum in mutationem consensit, non censemur in plus consensisse, quam in id, quod consequitur ex qualitate, & statu novo, ad quem Ecclesia patronata pervenit.

nit, ex qualitate autem Ecclesiae collegiatæ non consequitur plus, quam quod in ea electio Prælati relinquenda debeat Capitulo. ergo quoad reliqua jus Patronatus manebit Patrono salvum; renuntiatio enim jurum est odiosa, & stricta interpretationis, cum non censeamur jaetare res nostras, & juribus nostris nos abdicare, nisi in quantum istud necesse est.

Si sine consensu Patroni mutetur status Ecclesiae patronatae, & juri Patronatus expressè non derogetur, remanebit Patrono jus Patronatus integrum: consequenter, si Ecclesia non collegiata convertatur in collegiatam, Patronus retinebit jus nominandi, seu presentandi ad Prælaturam in eadem Ecclesia eodem modo, sicut antea potuit presentare Rectorem illius; idque ex iam allato principio; quia mutatione haec censemur facta absque Patroni praedium. Idque verum est, licet mutatio talis fiat ob aliquam necessitatem: quo casu quidem Patronus, ut potest qui majus bonum Ecclesiae non potest impedire, sed magis promovere debet, contradicere huic conversioni non potest, de jure Patronatus autem nihil perdit, nisi ut collegiata fieret, tempore foundationis, vel postea consenserit sine protestatione, seu reservatione juris sui; tunc enim electio Prælati, seu Rectoris ad Collegium Clericorum pertinet tantum.

Gloss. in c. nobis cit. V. in Capella. Abb. ibid. n. 10. Pirhing ad tit. de *jure patron.* n. 35.

addidi, si juri Patronatus expressè non derogatur; ubi distinguendum est inter Pontificem, & Episcopum; nam hic juri Patronatus, ut potest quod ab ipso acceptum Patronus non habet, non potest derogare, neque invito Patrono (ordinariè saltem loquendo) Capellam, vel Ecclesiam parochiale patronatam commutare in collegiatam cum Patroni praedium.

arg. can. Monasterium 33. & seq. caus.

16. q. 7.

Potest autem Pontifex; sed hic derogare eidem juri, si per foundationem, dotationem, vel constructionem Ecclesiae acquisitum sit, juxta dicta *num. 4.* nunquam censemur, nisi adjecta sit clausula expressè, & specificè derogatoria ejusdem juris.

Ex quo sequitur resolutio questionis proposita. Nam 1. ex *num. 2.* constat, quod Episcopo fundatori, ejusque successoribus acquisitum sit jus Patronatus in Monasterio a se erecto, non quidem quoad jus nominandi, presentandi, vel coeligiendi Prælatum, nisi hoc jus in limine foundationis sibi reservarit fundator, ut dictum est *num. 3.* sed tamen quoad reliquos juris

8.

9.